



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

sancto per reuerendissimum patrem cardinalem Aquilei-  
ensem vulgariter nuncupatum. Acta fuerunt hæc anno, in-  
diictione, mense & loco quibus supra, &c.

ANNO  
CHRISTI  
1416.

## SESSIO XXIII.

**I**ovis die quinta mensis Nouembris, anno a nativitate  
Domini millesimo quadringentesimo decimosexto,  
indictione nona, fuit celebrata generalis sessio in maiori  
ecclesia Constantiae, praesidente eidem sessioni reueren-  
dissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi, sancta  
Romanæ ecclesiæ cardinali & vicecancellario. Fuitque  
cantatum officium Missæ de Spiritu sancto per dominum  
Ioannem patriarcham Antiochenum. Quo expleto, lege-  
bantur litaniae, & alia fiebant quæ in sessionibus fieri so-  
lent. Eisdem completis, reuerendissimus pater dominus  
Bartholomaeus archiepiscopus Mediolanensis legit & pu-  
blicauit ordinationem sanctæ Synodi sub tenore sequenti.

*Commissio deputatorum data super informatione summaria  
facienda ad effectum citationis personalis, & per  
editum contra Petrum de Luna.*

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spi-  
ritu sancto legitime congregata, in auctore pacis uno Deo  
nostro Iesu Christo, qui sibi sponsam vnam sanctam ec-  
clesiam sui preciosi sanguinis precio comparauit, quæ  
in Christo Iesu summo angulari lapide creuit in templum  
sanctum in Domino, iunctisque simul parietibus fecit  
vtraque vnum, vt in pace fieret locus eius ad tollen-  
dum pacis obstacula, vniendumque scissuram fidelium, in  
qua ille\* Christi aduersarius caput ecclesiæ malignantum, \*pacis  
dolens satis & erubescens, hominem constantem ex lutea  
materia, caritatem in terra tenere, quam in cælo ne-  
quiuerat habere, ipsius sponsæ Christi per schisma pestiferum,  
proh dolor, ingens, & tam diuturnis, vtpote triginta-  
octo annorum, temporibus iam peractis, caritatem vul-  
nerauit, rescidit vnitatem. Quæ licet in magna parte Spi-  
ritus sancti gratia in praesenti sacratissima generali Syno-  
do ad hoc præcipue inter cetera congregata cooperante,  
coniuncta sit per electionem & renuntiationem domini  
Baltaffaris olim Ioannis vigesimitertii, & renuntiationem  
Angeli de Corario, Gregorii duodecimi in sua obedien-

Eph. 2.

ANNO CHRISTI 1416.  
tia nuncupati, qui inter se cum domino Petro de Luna,  
Benedicto decimotertio in sua obedientia nuncupato, de  
papatu contendebant; quorum Ioannis & Gregorii Dei  
gratia in eadem sancta Synodo obedientiae sunt unitae: ad  
huc tamen hostis ille unitatis & pacis, in reliqua parte, vi  
delicet in sua obedientia dicti domini Petri, Benedicti de  
cimotertii nuncupati, seu eius parte, per eiusdem domini  
Petri duritiam, pertinaciam & contumaciam, in graue &  
maximum scandalum unitueris ecclesiae & Christiani  
populi, atque periculum fidei catholicæ & ruinæ fide  
lium animarum, scissam detinet, & lacrymabiliter vul  
neratam: idcirco eadem sancta Synodus inter cetera ad  
ipsum schisma & heres alias extirpandum, procuran  
damque ipsius ecclesiae unionem, præcipue congregata,  
considerans quod præmissis attentis, totum huius reliqui  
schismatis pondus in persona dicti domini Benedicti con  
sistit, & quod in eo solo stat, quo minus ipsum schisma ra  
dicitus extirpetur, & per consequens resultet prefata u  
nio ecclesiae sanctæ Dei: & attendens quod tam in diutur  
nis temporibus quibus hoc schisma pestiferum \* pertra  
ctum est, omnium doctissimorum virorum Christi fide  
lium ingenia, etiam cum summis studiis & laboribus, at  
tentis maxime difficultatibus eiusdem schismatis, nullam  
viam possibilem & securam sine fidelium scando ad præ  
fatum schisma extirpandum reperire potuerunt, præter  
cessionem de papatu omnium contendentium: quam  
viam idem dominus Benedictus vocatus a suis, velut mul  
torum Christi fidelium vox testatur, ante suam electio  
nem a suis in papam, pro pace danda ecclesiae laudauerat  
& approbauerat, atque in ipso conclavi quando fuit ele  
ctus, promisit & iurauit prosequi unionem ecclesiae per  
omnes vias accommodas, usque ad cessionem de papatu  
inclusive, si ipsum in papam eligi contingeret, ut cardina  
libus qui tunc erant, vel eorum maiori parti expedire vi  
deretur, atque post suam electionem idem promisit & iu  
ravuit; dictaque conditio postmodum etiam purificata  
exitit: & deinde pro pace danda ecclesiae promiserit &  
iurauerit papatu suo prætenso cedere, altero videlicet,  
Ioanne & Gregorio cum eo contendente, cedente, mor  
tuuo vel elesto: quæ etiam conditio in ambobus, videlicet

Ttt iii

Ioanne & Gregorio prædictis, solenniter impleta est, vt  
præfertur. Attendens igitur quod idem dominus, dictus a  
suis Benedictus, iam viginti duobus annis completis, papa-  
tum secundum se tenuit, quibus temporibus multifarie  
multisque modis ex parte regum, principum, prælatorum  
& aliorum Christianorum, tam suæ, quam alterius obe-  
dientiæ, etiam post purificationem conditionum prædi-  
tarum, fuit cum magnis & iteratis instantiis seriose, so-  
lenniter, humiliter & deuote requisitus, quatenus pro tol-  
lendo huiusmodi schismate, & pro vnione ecclesiæ sanctæ  
Dei vellet suo prætenso papatui cedere, prout secundum  
omnium fidelium, seu maioris partis illorum iudicium  
tenebatur iure diuino pariter & humano, quod facere  
ipse semper animo pertinaci atque effrenato, superbiæ ac  
tumoris spiritu correptus, recusavit, & subterfugia quæ-  
dam adhibens, ad excusandum excusationes in peccatis,  
ecclesiam ipsam in huiusmodi schismate, quod ipse tollere  
potuit, relinquens, nullam debitam curam aut diligen-  
tiā sufficientem & effectualem adhibuit ad ipsum schis-  
ma tollendum, & ecclesiæ vnionem consequendam; sed  
ad vnum terrarum angulum in castro munitissimo Pani-  
scolæ in litore maris, vbi ad eum non esset tutus acces-  
sus, se reclusit, vbi omni suo posse præfatum inueteratum  
schisma nutrit & fouet, & impedimenta quæcumque po-  
test, præstat & procurat, ne ad dictam vnionem perueni-  
re possit: quæ omnia secundum sanctorum decreta hæ-  
sim inferunt manifestam. Eapropter super præmissis &  
aliis declarandis in processu, & latius exprimendis, volens  
eadem sancta Synodus euacuare quod ex parte est, vt se-  
quatur perfectum, & ad ipsum schisma penitus submo-  
uendum procedere, licet præmissa omnia, notoria & ve-  
ra communiter habeantur & reputentur, & super illis to-  
ta fidelium clamet multitudo, sibiipsi fatagens prouidere,  
quasi pro quodam huiusmodi prouisionis remedii funda-  
mento, committit deuotissimis ecclesiæ filiis Guillermo  
tituli sancti Marci, & Francisco tituli sanctorum Cosmæ  
& Damiani, dicto Florentino, sanctæ Romanæ ecclesiæ  
cardinalibus, Ioanni electo patriarchæ Constantinopoliti-  
ano, ac venerabilibus fratribus Stephano Dolensi, Ro-  
berto Saresbiriensi, episcopis, ac dilectis ecclesiæ filiis Ia-

ANNO CHRISTI 1416. cobo electo Parmensi, Guillermo Pulcri nepotis, fratri Antonio Taxal generali ordinis beatæ Mariae de mercede, fratri Mauricio de Praga, sacræ paginæ professoribus, Michaeli de Nauers, Nicolao Vuordis iuris utriusque, & Ioanni Belles decretorum, doctoribus, & eorum maiori parti, quatenus super præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis, dependentibus & connexis, ac aliis ad ea quomodolibet facientibus, illorumque notorietate, fama & clamore, ac etiam quæ loca insignia constitant viciniora dicto castro Paniscolæ, ad quæ sit tutus accessus, summarie & diligenter inquirant, testes & alia probationum genera recipient & examinent, eorumque dicta & attestations, & alia quæcumque inuenient, in scriptis & forma publica redigant, seu redigi faciant, & ea etiam sacræ Synodo repræsentent & fideliter referrant, vt exinde ipsa Synodus procedat, decernat & statuat, prout ad pacem & salutem ecclesiæ & fidelium, extirpationem schismatis & unionem ipsius ecclesiæ secundum iustitiā videbitur expedire. Datque eisdem commissariis & maiori ipsorum parti, testes per censuram ecclesiasticam compellendi veritati testimonium perhibere, & alios quoquinque præstantes ad prædicta impedimenta coercendi, & alia faciendi circa præmissa necessaria & etiam opportuna, plenam & liberam potestatem. Lecta autem dicta ordinatione, dictus patriarcha Antiochenus pro omnibus dictæ Synodi nationibus, & de ipsarum consensu respondit per verbum, Placet. Et præfatus dominus Ostiensis nomine collegii cardinalium similiter respondit: Placet.

#### SESSIO XXIV.

*Pro citatione decernenda contra Petrum de Luna.*

DIE Sabbati vigesimoctaua dicti mensis Nouembris fuit sessio generalis per Synodum Constantiensem mane hora Tertiæ in ecclesia maiori prædicta Constantiensi solenniter celebrata, in qua reuerendissimus pater dominus patriarcha Antiochenus officium Missæ celebrauit. Quo finito, more aliarum sessionum legebantur litaniae. Præsidebat autem eidem sessioni dominus Ioannes episcopus Ostiensis. Reuerendissimus autem pa-